

quasi ibi absorbetur, nihil amplius addit ad sententiam Cajetani, quia si vult aliquid de pane entitative et in recto manere in corpore Christi, est error; si vero vult solum corpus Christi cum respectu ad panem desinentem esse terminum conversionis, ita quod ille respectus inveniat ex parte termini formalis, panis autem solum in obliquo, est ipsa sententia Cajetani, neque aliquid addit super illam. Solum vero restat explicare, quomodo ratione istius respectus superadditi sit terminus conversionis, et reddat Christum impossibilem cum pane, cum absolute posset salvari positio corporis Christi conservati cum pane; quomodo item impugnetur Scotus, quod ratione alicujus modi superadditi corporis Christi (scilicet præsentiae) dicat illud reddi impossibilem substantiæ panis, si Cajetanus solum reddit impossibilem ratione respectus ad panem. Et rursus inquiritur, an ille respectus sit intrinsecus et proprius corporis Christi ex vi positionis ejus in hoc sacramento; an intrinsece superadditus ex voluntate Dei. Si ex natura rei convenit, ergo non posset hic poni corpus Christi servata substantia panis; et sic reditur in sententiam Vazquez, quod Christus in quantum enuntiatus istis verbis (quod solum est ex beneplacito Dei) est terminus hujus conversionis, si ex voluntate Dei tantum, et non ex natura rei est impossibile; nam si ex natura sua impossibile est, non poterit simul cum substantia panis conservari. Denique si terminus formalis hujus actionis est Christus ut ex pane, ita quod ly ex pane refunditur in terminum ad quem; ergo si fieret non ex pane, sed ex aqua, vel aere, esset illa actio diversæ speciei, quia variaretur aliquid pertinens specificè ad formalem terminum.

XIII. Tandem aliqui existimant, hanc actionem conversivam simpliciter substantialem, et habere pro termino formali ipsam substantiam corporis Christi in se, panem autem solum pertinere ad terminum a quo; et respectum ad illum solum generali modo includi in termino ad quem, quia omnis mutatio est de termino a quo ad terminum ad quem; quomodo autem illa attingat de novo substantiam Christi, non producendo aliquid de novo, dupliciter explicatur. Primo, dicendo actionem istam de facto non producere corpus Christi, quia invenit illud jam productum; esse tamen de se efficacem ad illud producendum, et hoc sufficere, ut sit actio substantialis; quod indicat Soto in iv, dist. ix, quæst. ii, art. iv, in solutione argumentorum; sed non explicat quid producat de facto, et in actu secundo; sed solum quod sit productiva substantiæ in actu primo: unde non assignat terminum formalem de facto in exercitio: alii vero dicunt, verum esse, quod de facto non producit corpus Christi, quia invenit productum; sed de facto conservat corpus Christi in sacramento sicut in cælo, quia hoc solum potest ponere de novo in illa substantia. Et hoc tandem sequitur Suarez hic disput. I, sectione quarta, qui citat pro se S. Thomam, Bonaventuram, Gabrielem, Richardum, Paludanum et alios.

XIV. Nostra ergo resolutio sit juxta sententiam Cajetani, quæ probabilior cæteris videtur, magisque consona S. Thomæ, et S. Ambrosio, quod terminus formalis coincidit cum totali, sicut in creatione; estque totum corpus Christi, ut ex toto pane; neque est inconveniens, quod in conversione, quatenus conversio est, respectus ad terminum a quo includatur intrinsece et pertineat ad specificationem termini ad quem,

quia specificè et essentialiter conversio est transitus termini a quo in terminum ad quem. Itaque non est consideranda ista conversio, neque regulanda sicut generatio et creatio, quæ formaliter non respiciunt terminum a quo, nec ab illo specificantur, etiam ut a conditione requisita, sed totaliter illum relinquunt tamquam aliquid per accidens; sed consideranda est ut pura conversio, quæ non respicit terminum ad quem, ut præcise factum, sed ut ex alio mutatum et translatum. Et ita id quod fit de novo in hæc actione (quæ pure conversio est) est totus Christus ut ex toto pane. Sumitur hæc resolutio ex S. Thoma et ex S. Ambrosio, ex aliarum sententiarum exclusione, ex propria ratione hujus conversionis. Ex S. Thoma quidem, si ponderemus duo ejus loca; nam in primis infra quæst. lxxviii, art. v inquit: « Quod hæc verba formæ non faciunt corpus Christi, neque quod panis sit corpus Christi; sed quod contentum sub his speciebus (quod prius erat panis) sit corpus Christi; » ubi sanctus doctor explicat terminum formalem, seu id quod fit de novo per istam actionem conversivam, dicendo quod hoc faciunt illa verba. Explicat autem istum terminum de novo, non per solam substantiam Christi in se, non per substantiam Christi ut præsentem, non per ipsam ut enuntiatam, sed per hoc quod id quod prius erat panis, sit corpus Christi; ergo in isto termino ut novo, et noviter facto includitur esse ex pane, seu id quod prius erat panis. Alter locus est in hac quæstione lxxv, art. iv ad tertium, ubi explicans S. Thomas, quomodo virtute infinita possit tota entitas rei mutari in aliam, inquit: « Quod id quod entitatis est una re, potest auctor entis convertere in id, quod est entitatis in altera, sublato eo per

quod ab illa distinguebatur; » ubi S. Thomas aperte ponit ipsam substantiam, et entitatem rei pro termino formali; nam dicit: « Quod id quod entitatis est in una, potest converti in id, quod entitatis est in altera; » illud autem quod entitatis est in una re est ipsa substantia rei, et physica ratio illius: ergo terminus formalis et specificativus hujus conversionis, est aliquid physicum, et id quod entitatis est in aliqua re, non id quod denominationis extrinsecæ, vel id quod modi in aliqua re. Neque enim id quod est entitatis in aliqua re solum est modus, sed ipsa rei substantia. Et quando addit S. Thomas: « Quod convertitur in id, quod est entitatis, sublato eo per quod distinguebatur substantia panis a substantia corporis Christi, » aliquid substantiale est, si quidem non differunt accidentaliter, sed substantialiter panis et corpus Christi: ergo si ista conversio tollit id per quod differunt, tollit aliquid substantiale; ergo id quod relinquit, et prout loco ejus, quod tollit, aliquid substantiale est. Et sic per istam conversionem attingitur ipsa substantia corporis Christi, ut tollens id per quod panis distinguitur ab illa. Et concinunt verba Ambrosii libro de sacramentis, capite iv dicentis: « Ubi accedit consecratio, de pane fit corpus Christi; » ergo corpus Christi, ut ex pane, est id quod de novo fit.

XV. Secundo, constat hæc sententia ex aliarum exclusione. Et primo contra Vazquez ostenditur hanc conversionem et impossibilitatem terminorum inter panem et corpus Christi, non solum esse sacramentalem, et ratione verificationis verborum, sed physicam et substantialem. Nam illud ipsum quod sit in hoc sacramento interveniente significatione verborum, posset Deus facere se solo sine verbis; sed

in hoc sacramento fit conversio totius substantiæ panis in corpus Christi: ergo potest converti panis in corpus Christi etiam remota omni significatione verborum; ergo erit terminus conversionis, et impossibilis cum pane, non ut enuntiatus et verificatus per verba, sed secundum se ratione ejus quod physicum est in tali termino: Major probatur, quia totum quod fit in hoc sacramento, sit per solam virtutem Dei, et non per aliquam virtutem quam habeant verba secundum se, si quidem aliquid reale et physicum fit de novo in hoc sacramento; physice enim destruitur substantia panis, et ponitur substantia corporis Christi, et realiter convertitur panis in corpus Christi, non fecte et per rationem; sed omnis effectus physicus et realis fit ab aliqua reali et physica virtute: ergo interveniente illa, et omni alio remoto, potest fieri ipsa conversio, et iste realis effectus; verba autem ex sua significatione præcise non habent virtutem physicam ad istam conversionem, cum significatio illa sit aliquid rationis; et, si quam virtutem habent, solum est instrumentalis, et principaliter est a Deo, si quidem requiritur ad hunc effectum virtus infinita, et supra omnem naturam: hæc autem nullo modo est alligata verbis: ergo sine illis potest Deus operari idem quod modo operatur per illa. Minor vero est expressa in Concilio Tridentino sess. xiii, cap. iv, dum inquit: « Per consecrationem fieri conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi: » ista autem conversio physice et realiter fit, non fecte neque per rationem; ergo datur physica et realis factio istius conversionis. Neque enim potest dari verum et reale fieri, nisi detur verum et reale facere; nec datur realis factio, nisi per realem et phy-

sicam virtutem agendi; ergo si fit conversio (ut dixit Concilium) et fit a parte rei et physice (alias nullo modo fieret) oportet quod a physica virtute fiat, et a virtute infinita, quæ est Dei; quæ hoc ipso non est alligata verbis, neque ulli creaturæ; et sic potest eandem conversionem facere cum verbis ac sine verbis, licet ex verificatione verborum colligatur quasi a signo physica ista conversio substantialis.

XVI. Ex hoc autem manifeste colligitur, debere dari physicam impossibilitatem inter substantiam corporis Christi, et substantiam panis, nam idem fit in sacramento realiter et physice nunc, quod Deus faceret se solo sine verbis (si quidem tunc nihil amplius faceret, quam convertere panem in corpus Christi, et idem omnino quod nunc est in sacramento, remota tota efficientia verborum) sed in omni conversione vera et reali terminus a quo debet esse impossibilis cum termino ad quem, si quidem terminus a quo debet transire, et desinere esse in vi successionis termini ad quem, et non pure concomitanter; ergo etiam remota significatione verborum, assignanda est nunc impossibilitas de facto inter substantiam corporis Christi et substantiam panis, si quidem idem fit modo per verba, quod fieret tunc sine verbis.

XVII. Et confirmatur, quia veritas enuntiationis debet sumi ab eo, quod in re fit: sed verba illa: *Hoc est corpus meum*, vere et proprie dicuntur; ergo ita fit a parte rei, sicut illa significant; ergo physice et in re fit conversio panis in corpus Christi, quia hoc illa verba significant; ergo terminus formalis hujus conversionis debet esse terminus physicus et in re, non autem solum prout enuntiatus. Patet consequentia, quia ut vere enuntietur

per verba, requiritur quod in re ita fiat; ergo aliquid debet assignari in re et physice, quo ista conversio perficiatur, præter ipsam enuntiationem et enuntiatum esse, quia objectum enuntiationis non est ipsamet enuntiatio, neque denominatio extrinseca enuntiatii, quæ cadit super ipsum objectum, et supponit illud.

XVIII. Sententia autem Scoti ex eo excluditur, quia vel Scotus ponit actionem conversivam, quæ habeat pro termino substantiam corporis Christi, et aliam adductivam, quæ terminetur ad præsentiam sacramentalem Christi; vel solum ponit istam actionem adductivam cum annihilatione, seu desitione panis; ita quod ista conversio solum consistat in illa successione substantiarum. Si primum, reducitur sententia Scoti in illam, quæ ponit substantiam corporis Christi pro termino formali hujus conversionis, et restant explicandæ difficultates quæ contra idem fiunt de impossibilitate hujus termini cum pane, et de terminatione duplicis actionis totalis in eodem effectu; et quomodo aliquis terminus de novo fiat, quæ omnia non expedit Scotus, ponendo actionem adductivam ad præsentiam corporis Christi; imo ista superflue ponitur, si datur illa prima conversio, quia non potest converti unum in aliud, nisi ipso facto maneat præsens alicubi.

XIX. Si autem dicatur secundum, quod solum intervenit hic actio adductiva cum annihilatione, vel destructione panis, instatur manifeste ex advertentia Vazquez, quia substantia corporis Christi non est per se et ratione sui impossibilis cum pane, si Deus vellet conservare ibi substantiam panis simul ponendo corpus Christi: ergo etiam ipsa præsentia corporis Christi sub

speciebus cum pane non erit impossibilis cum ipso. Patet consequentia, quia substantia panis in tantum non est impossibilis cum substantia Christi, in quantum possunt simul conservari a Deo sub speciebus; sed esse præsens est idem quod esse simul et conjunctum cum alio; ergo si non est impossibilis substantia, neque præsentia. Ubi autem non est impossibilitas unius termini cum alio, non est conversio, quia conversio est transitus unius in aliud; ergo ex ipsa quidditate et ratione conversionis oportet quod unum extremum non maneat, sed recedat, et aliud succedat ex vi talis transitus, et non per puram concomitantiam. Si enim Deus destruat et annihilat meam substantiam, et in eodem loco statim creet Angelum, non dicitur mea substantia converti in Angelum, licet utrumque succedat in eodem loco. Per accidens enim est ad illam creationem Angeli annihilatio mea; conversio autem per se, et ex sua essentia est transitus de uno in aliud: ergo non debet judicari quod sit conversio ex concurrentia et concomitantia pura duarum substantiarum per accidens in eodem loco, sed ex transitu et mutatione per se unius in aliud; ergo non salvatur vera et realis conversio, nisi terminus conversionis ex vi talis transitus et mutationis sit impossibilis cum termino a quo; ergo si ex se præsentia Christi in sacramento non est impossibilis cum pane, non est per se terminus conversio, neque veram conversionem salvat; at secundum fidem vera et realis conversio salvanda est totius substantiæ panis in corpus Christi; ergo illa sententia de formali termino præsentiae excludenda est.

XX. In aliis autem sententiis, quæ ponunt substantiam pro ter-

mino formali hujus conversionis, restant expediendæ difficultates, quas statim contra nostram sententiam proponemus, ostendendo nunc alias sententias non recte explicare terminum hujus conversionis. Nam illa quæ dicit terminum formalem esse corpus Christi, prout in illo desinit, aut mutatur et transit panis, non est aliud quam dicere, corpus prout ex pane; neque aliquid panis ibi manet, sed totum transit in corpus Christi, ut supra ponderamus; ergo terminus ille est corpus Christi prout ex pane (scilicet ex pane desinente et transeunte in ipsum, non manente in se) ergo est ipsa sententia Cajetani. Dicere autem quod per istam actionem conservatur de novo corpus Christi, non solvit difficultatem, sed auget, quia conservatio non est aliud quam continuatio præcedentis actionis, et termini jam producti; et sic conservari supponit fieri, et factum esse, quia continuat illud. Quando ergo conservatur Christus in sacramento et simul in cælo, vel ista conservatio est eadem omnino qua conservabatur in cælo per continuationem generationis, qua primo productum est corpus Christi; vel est alia conservatio distincta, et aliquid de novo faciens in sacramento; si primum, illa conservatio nihil amplius facit quam continuare corpus Christi ut in cælo, si quidem est eadem omnino cum tali conservatione; ergo non ponit de novo Christum in sacramento, quia solum continuat primam generationem: si autem est distincta conservatio, ergo supponit distinctum fieri, quia conservatio est continuatio actionis, et saltem ista conservatio ista respicit corpus Christi, quod de novo aliquid fit in hoc sacramento, quod ante non erat, et sic conservatur; ergo illud quod fit de novo, quidquid illud sit, oportet quod

sit novus terminus, non solum in ipso conservari, sed etiam in fieri.

XXI. Confirmatur hoc, quia remanet semper eadem difficultas, quia vel ista conservatio excludit per se substantiam panis, et est impossibile cum illa, vel non: si non impossibile, ergo potest manere cum substantia panis; ergo non est conversio illius, quia in conversione non potest manere terminus a quo, sed debet transire in ipsa positione termini ad quem. Si autem illa conservatio est impossibile cum substantia panis, ergo res conservata aliquid habet, per quod impossibile est, et illud non habet prout in cælo, sed prout in sacramento, quia substantia corporis Christi prout in cælo indifferens est ut ponatur simul cum substantia panis, vel non, quia utrumque possibile est: ergo aliquid habet prout in sacramento, quo fit impossibile cum substantia panis; ergo non ad solam conservationem recurrendum est, sed ad aliquid quo ipsa substantia impossibile est cum pane; et hoc non explicat ista sententia, nisi recurat ad sententiam Cajetani.

XXII. Illa vero sententia, quæ dicebat hanc actionem esse de se productivam substantiæ corporis Christi, sed de facto non producere aliquid, quia invenit productum, sed tantum convertere, diminuta est, quia non explicat quid sit illud convertere, et quis sit terminus conversionis de facto. Licet enim de facto non producatur corpus Christi, tamen de facto convertitur, et de novo est in sacramento id, quod ante non erat; ergo oportet assignare terminum de novo hujus conversionis, licet non productionis; et illud inquirimus quid sit. Dicere autem quod actio solum est productiva in actu primo, et non

assignare illi terminum in actu secundo, in quantum conversio est, est dicere quod de facto non est actio, quia non habet terminum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIII. Restat difficultates expedire, quæ militant contra nostram sententiam; sic enim explicabitur, quomodo ista conversio simul terminetur ad corpus Christi prout ex pane; et præter rationem dubitandi positam a principio, an terminus iste formalis sit aliquid substantiale vel accidentale de novo productum, vel de novo succedens. Restant tres difficultates præcipuæ. Prima est, quomodo possit idem numero effectus dependere a duplici causa totali et adæquata, sine nova productione et additione super talem rem, si quidem adæquata et totalis actio est illa quæ totaliter complectitur totum quod factibile est in actu; ergo non relinquit locum alteri actioni ut aliquid agat; si autem nihil agit, actio non est. Et præsertim hoc urgetur, quia illa actio ex sua natura tendit ad rem jam existentem, sicut hæc actio tendit ad corpus Christi præexistens; tunc enim non potest de novo terminari, et dependentiam habere in suo esse ille terminus ab ista actione, quia in tantum terminat de novo, in quantum transit de potentia ad actum, de non esse ad esse; sed illud corpus præexistens jam est in actu, nec per illam actionem transit de non esse ad esse; ergo non habet novam dependentiam et terminationem in suo esse.

XXIV. Secunda difficultas, quia substantia corporis Christi ex sua natura non est impossibile cum pane, sed posset simul cum illo conservari a Deo, sub illis speciebus, ut sæpe dictum est. Per quid ergo

redditur illa substantia corporis Christi in compossibilis cum pane, et consequenter terminus conversionis, si dicatur, quod substantia corporis Christi non est absolute impossibile cum substantia panis, sed corpus Christi ut ex pane?

XXV. Contra est, quia substantia Christi ut ex pane, significat terminum ad quem cum termino a quo ut destructo; et sic corpus Christi ut destruens panem, certissimum est quod non compatitur cum pane. Sed restat difficultas, quomodo et qua ratione destruit panem; et hoc est punctus difficultatis, quæ non solvitur per hoc quod dicitur corpus ex pane, seu ex pane destructo. Supponitur etenim destructus panis ex vi positionis corporis Christi, et non explicatur per quid formaliter destruitur illa substantia panis, cum corpus Christi absolute non sit impossibile cum substantia panis; posset enim simul conservari cum illo, si Deus vellet.

XXVI. Tertia difficultas est, quomodo assignetur hic terminus de novo in ista conversione, quia Christus ut ex pane non dicit novum terminum ad quem entitative, sed solum respective, scilicet, respectu novi termini a quo, et novæ actionis facientis sic dependere, et sic converti panem in corpus Christi; ergo non fit de novo nisi aliquis respectus, et sic non est ipsa substantia corporis Christi terminus formalis, quia hic debet esse terminus de novo factus: datur enim novum fieri, quia fit conversio panis in corpus Christi, ergo et novum factum esse, et hoc non explicatur quid sit, nisi tantum respectus. Denique idem in quantum idem non potest specificare et terminare diversas actiones, nec idem immutatum in se potest egredi ab aliqua actione a qua ante non egrediebatur: ergo nec de novo terminare illam, aut dependere, vel